

est, cum formalissime generatio sit in divinis, et est vitalis non vitalitate voluntatis sed intellectus, et in gradu, et linea intelligibili, nec in vitalitate communi intellectui, et voluntati, sed propria intellectus, quia est locutio, et manifestatio, quæ est propria lucis intelligibilis, et hæc ad intellectum pertinet: sed in intellectu, ut distinguitur a voluntate, non est vitalitas, nisi cognitionis, quia intellectus vivit vita cognoscitiva tantum, non alio modo vivendi, et movendi: ergo actus vitalis intellectus propria vitalitate ipsius est actus cognitionis, nec potest esse alius a cognitione distinctus, et solum concomitans cognitionem, quia remota vitalitate intrinseca cognitionis, non scimus quam vitalitatem demus illi actui, tantumque erit actus intellectus materialiter, non ut intellectus est formaliter.

XXVIII. Dices: Probat hunc discursum quod dicere subordinatur ipsi intelligere, et præsupponit ipsum, non tamen quod formaliter sit intelligere, quia intellectus prius intelligens, et tangens objectum, utitur illa actione dicendi, et loquendi tamquam ministra, et subordinata sibi ad exprimendum quod intelligimus, et ita ex participatione intellectionis dictio exprimit, et manifestat id quod intelligit. Non tamen sequitur quod formaliter sit intelligere. Et ex eadem intellectione participat vitalitatem ejus, quasi actio ei subordinata. Unde et S. Thomas dicit in præsentia, quod conceptio est proveniens ex notitia intellectus: sentit ergo non esse formaliter ipsam notitiam, quia ex illa procedit.

Et confirmatur, quia in nostra sententia ipse actus intellectionis est qualitas, quam dicimus eminenter esse actionem productivam, quia est actus secundus intellectus. Re-

pugnat autem quod qualitas sit formaliter, seu in exercitio productio alterius qualitatis quam dicimus verbum: ergo illud verbum non producitur per illum actum, qui est intelligere, sed per aliam actionem, quæ est productio, et non intellectionis. Minor probatur, quia productio identificatur cum termino producto, illique inest, quia reddit illum productum; qualitas autem non identificatur cum alia qualitate. Et in opinione quæ dicit non consistere intellectionem in productione verbi, sed in informatione ejus ad intellectum, qua manifestat illi, a fortiori non potest dici quod productio verbi sit intellectionis, et cognitio, cum sit informatio ipsius verbi: ergo in illa sententia totus discursus contra Scotum corrumpitur. Et miror quomodo qui sententiam Vasquez tenent, quod scilicet intellectionis formaliter sit informatio, qua verbum informat, et actuat intellectum manifestando illi, non in actione, qua producitur verbum, ex alia parte dicant contra Scotum actum quo producitur Verbum in divinis esse formaliter cognitionem, et intellectionem, sicut spiratio qua producitur Spiritus sanctus est intellectionis.

XXIX. Respondetur illam actuum subordinationem et multiplicationem superflue poni in præsentia, nec posse in intellectu multiplicari actus, nisi multiplicentur cognitiones, quia non possumus evadere, quin ipsum intelligere ut intelligere sub formalitate, et ratione intellectionis influat in ipsum verbum quod producitur, quia ipsum verbum participat rationem notitiæ et intelligibilitatis, et lucis spiritualis, quod utique non nisi ex influxu, et participatione ipsius intellectionis habere potest. Quod autem hoc faciat media actione interposita, quæ intellectionis non est, non evacuat difficul-

tatem, sed implicat: nam quomodo illa inferior, et secunda actio participat influxum ab ipso intelligere ut possit transfundere in verbum ea quæ intelligibilitatis sunt? Illa enim actio de se non est intellectionis: ergo de se, et ex propriis meritis non potest communicare verbo a se producto intelligibilitatem in actu, et lucem ipsam intelligibilem, aut si communicat ex se, intellectionis est ex se. Communicat ergo illam, et transfundit ex participatione, et derivatione ab intelligere.

Restat ergo explicare duo.

Primum quid sit illud, quod talis actio productiva, et inferior ex meritis propriis communicat verbo a se dicto, et quid resplendet in verbo correspondens isti actioni, quod non respondeat ipsi intelligere, estne aliquid vitale, an non vitale, ad intelligibilitatis lineam pertinens, an non. Quid est illud, quod cognitionis splendor non sit? An forte sunt tenebræ.

Secundum est, quomodo ipsum intelligere communicet illi actioni quæ non est intellectionis, vim transfundendi rationem intelligibilitatis in verbum, facitne cognoscendo, an non cognoscendo. Si cognoscendo, eadem ratione potest producere verbum, communicando ei intelligibilitatem, sicut cognoscendo communicat illi inferiori actioni vim transfundendi intelligibilitatem in verbum, quod ex propriis meritis non habet. Si non cognoscendo: ergo erit alia actio a cognitione, et de illa fiet idem argumentum quomodo accipit vim dandi cognoscibilitatis, et intelligibilitatis modum ipsi verbo, procedeturque in infinitum. Unde nec video Scotum uti hac subordinatione actionum, sed pura concomitantia, quasi sit duplex actus concomitanter, sine subordinatione unius ad alteram, sed tunc urgetur argumentis factis, quomodo actio,

quæ intellectionis non est, sine influxu intellectionis possit verbo communicare esse intelligibile, et lucem intelligibilitatis in actu. Si autem influxum ab intellectione habet, subordinatur illi.

XXX. Quod vero D. Thomas dicit conceptionem procedere ex notitia, verissimum est, quia notitia est actio productiva illius, non quia ex notitia, ut ex principio agendi, vel quasi ex actione superiori, et inferiori movente, procedat, sed ex notitia procedit, tamquam ex ipso actu formante, et producente verbum: est enim eminenter, et virtualiter productio. Potest etiam aliquando contingere quod post notitiam producatur verbum, quatenus de una notitia imperfecta procedimus ad aliam perfectiorem, vel quatenus post notitiam habitam etiam perfectam vult aliquis producere illius manifestationem, et verbum, sed tunc illa productio verbi erit in se quædam cognitio manifestativa, et locutiva ex priori procedens, quod nullum inconueniens habet.

Ad confirmationem respondetur non repugnare quod qualitas sit productio activa, quia hæc non identificatur cum reproducta, sed solum productio passiva: hæc autem non est aliud quam dependentia rei productæ a causa sua producente, quia in actionibus ubi non est motus, non relinquitur aliud, quam habitudo principii ad principiatum, et principiatum, seu producti ad suum principium, ut S. Thomas dicit infra quæst. XLII, art. I ad II, et in actione qua Deus creat, solum ex parte Dei est productio activa, seu actus secundus creandi, et ex parte creaturæ dependentia in esse a Deo. Cum ergo intelligere non sit actio imperfecta, et per modum motus, sed perfecta, et sine motu, in se est actus quidam secundus, scilicet intellige-



re, qui est qualitas, et non petit respectu objecti habere productionem; sed tamen potest esse productio activa verbi, et talis productio non identificatur cum re producta, sed tenet se ex parte producentis; ex parte autem rei productæ est productio passiva, scilicet dependentia ab agente, et ab ejus actu secundo, et hæc identificatur cum termino producto.

XXXI. Ad fundamentum autem Scoti quod insinuavimus supra in hac tertia conclusione, respondetur quod dictio, seu productio verbi non intelligit verbum in sua entitate, sed objectum repræsentatum in verbo, et intelligendo objectum producit verbum: sed quia verbum continet in se objectum formatum per modum intellecti, et cogniti in actu; ideo non producit nec formatur istud verbum nisi intelligendo objectum, et communicando ipsi verbo, ut illud tamquam intellectum repræsentet. Unde solum sequitur quod formalitas producendi seu dicendi verbum sit diversa a formalitate intelligendi, quæ solum dicitur habitudinem ad objectum intellectum, non tamen quod sit distincta actio, cum non nisi per cognitionem et intellectionem formari possit verbum secundum esse intelligibile, et intellecti in actu ipsius objecti.

XXXII. De sententia Henrici non est quod multa dicamus: nec enim distingui potest in Deo intelligere absolutum, et notionale, quasi duplicatum etiam nostro modo concipiendi in ipsa ratione intelligendi, sed intelligere absolutum, et notionale, idem est, solumque redditur notionale per additionem relationis, seu originis quasi modificatum. Itaque idem intelligere divinum, quod est commune toti Trinitati, dicitur intelligere paternum, et notionale, non quia sit novum intelli-

gere, et in ipsa ratione intelligendi distinctum, sed per hoc quod illud intelligere modificatur relatione ac personalitate Patris redditur notionale et paternum pro Persona Patris, et ut redditur communicatum per generationem est notionale Filii.

Ratio est quia essentialia, et absoluta non duplicantur per hoc quod Personis communicentur, sed solum modificata a Personis redduntur, alias si ponimus duplex intelligere, unum notionale, alterum essentialia et absolutum, similiter ponemus duplicem sapientiam, duplicem justitiam, et voluntatem, et duplicem deitatem, aliam essentialia, aliam notionalia, sicque Deus Pater erit Deus notionalis, alius a Deo absolute sumpto, quæ omnia sunt absurdissima. Non est autem major ratio de ipso intelligere aut velle, quam de ipsa natura, et aliis attributis, vel perfectionibus absolutis: quod si est duplex intelligere et velle, aliud essentialia, aliud notionale, etiam de aliis perfectionibus absolutis idem dicatur. Vel si hoc solum verificatur in ipso intelligere, et velle quia per modum operationum se habent, nihil per hoc elevatur ratio facta, quia etiam operationes, in quantum tales, suam actualitatem et perfectionem habent absolutam et essentialia, seu specificam, nec habent solam relationem, quia relatio, ut relatio operativa, et productiva non est: esse enim operativam pertinet ad activitatem, et activitas fundatur in actualitate, et hæc pertinet ad naturam. Si ergo datur operatio notionalis distincta in ratione operationis ab essentiali, oportet quod detur activitas, seu actualitas notionalis distincta ab essentiali. Et illud quod activitatis est in tali operatione notionali, vel est commune omnibus tribus Personis, vel proprium unius. Si commune, est ipsa

essentialis operatio quantum ad id quod actualitatis habet. Si proprium ergo præter oppositionem relationis aliquid est in una Persona ex parte actualitatis, et activitatis, quod non in alia, quod repugnat.

FUNDAMENTA DURANDI, ET SCOTI  
CONVULSA.

XXXIII. Conveniunt Durandus, et Scotus in uno fundamento communi, et quilibet deinde habet suum proprium. Commune fundamentum est, quia actus intelligendi sunt communes tribus Personis, processiones vero non sunt communes: nec enim Verbum generat, nec Spiritus sanctus spirat. Ex hoc principio infert Durandus: ergo antecedenter ad omnem operationem intellectus, aut voluntatis dantur processiones istæ; sed antecedenter ad tales operationes nihil restat, nisi natura ejusque fecunditas: ergo per fecunditatem naturæ antecedenter ad intelligere, et velle fiunt istæ processiones: ex eodem principio infert Scotus: ergo dicere quo procedit Verbum, et spirare, quo procedit Spiritus sanctus non sunt formaliter velle et intelligere, quia velle et intelligere prout sic communes sunt omnibus: dicere ergo, et spirare quæ non sunt actiones communes, distinctæ debent esse ab intelligere et velle.

XXXIV. Præter illud fundamentum commune utrique sententiæ, est speciale fundamentum pro sententia Durandi, quia naturæ creatæ et ex vi suæ naturæ, et non ex operatione intelligendi fecunditatem habent ad se communicandum, unde et generatio dicitur opus naturæ, et in Deo communiter dicunt sancti Filium procedere natura: ergo similiter fecunditas in Deo ad generationem, et processionem antee-

dentem se habet ad intelligere et velle. Quod autem in creaturis ex fecunditate creaturæ proveniat ista communicatio, et non ex actionibus immanentibus patet, quia istæ operationes nihil producunt. Ad Deum autem transferimus istas actiones, et processiones, sicut sunt in creaturis, semota limitatione et imperfectione: ergo similiter in Deo operationes immanentes non erunt productivæ.

Confirmatur, quia divinam naturam esse in tribus Personis eisque communicari provenit immediate ex infinitate ipsius essentiæ: ergo ex eadem infinitate proveniet, quod una Persona procedat ex alia, non ex operationibus intellectus et voluntatis.

XXXV. Speciale autem fundamentum Scoti sumitur similiter ex natura actus immanentis, quia de se non est operatio productiva, v. g. intellectio, eo quod isti actus sunt ultima actualitas in qua quiescit agens, non in qua operatur; unde, et se habet intelligere, ut perfectio ultima intelligentis, non ut actio ordinata ad ulteriorem terminum, seu finem, sicut ordinatur actio productiva, cujus finis est terminus. Si ergo invenitur operatio productiva in intellectu illa non erit actus immanens, neque ipsa intellectio formaliter, sed alia operatio distincta.

Confirmatur, quia intellectus, et voluntas et eorum operationes, scilicet intelligere et velle sunt omnino idem realiter, quia sunt absolutæ, et inter se non oppositæ formæ: ergo non sunt aptæ ut per tales operationes tam diversæ processiones resultent. Nam si processiones sunt ipsæmet operationes intelligendi et volendi, et velle et intelligere sunt idem inter se, quomodo processiones sunt realiter distinctæ inter se, et non idem? Ut ergo processiones sint



realiter distinctæ oportet quod processiones non sint illæ operationes, nec secundum illas fiant, quæ realiter sunt idem.

XXXVI. Ad primum fundamentum respondetur, quod intelligere et velle sunt communes omnibus tribus Personis secundum perfectionem quam dicunt, non secundum modificationem quam habent prout in tali vel tali Persona; sic enim sunt ipsum dicere in intellectu, et spirare in voluntate; non autem distinguitur operatio dicendi ab intelligere, et operatio spirandi a velle, sed per ipsammet intellectionem et volitionem tali relatione originis affectam, id quod est intelligere, remanet expressivum, et locutivum, seu prolativum Verbi, et amor spirativus Personæ procedentis. Solum ergo sequitur quod modificationes istæ non sint communes, non vero quod operationes sint distinctæ ab intelligere et velle sicut nec sunt distinctæ ab essentia. Ad fecunditatem autem, et processionem duo requiruntur, scilicet virtus, seu activitas, et distinctio extremorum inter quæ exercetur processio, alias realis processio non erit, si extrema non distinguuntur realiter. Quod ergo virtutis, et activitatis est in ista processione, commune est omnibus Personis. Quod distinctionis, peculiare, et proprium, cujus ratio est quia distinctio fit solum per oppositionem relativam, quia alia esse non potest in Deo: virtus autem convenit ratione actualitatis, quia virtus activitas est. Actualitas autem in Deo est actus purus; et hic communis est, quia est absoluta perfectio. Et hac ergo parte intelligere potest esse commune quoad id quod virtutis, et actualitatis dicit, licet ex parte distinctionis, et originis, quo ipsum intelligere processionem fundat, relativam modificationem in eo ponat. Imo retorque-

tur argumentum contra Durandum, quia non minus natura communis est Personis, quam intelligere, et velle; ergo secundum fecunditatem naturæ ante ipsum intelligere, et velle, non potest sumi distinctio processionum, quia istæ communes non sunt. Et consequentia Scoti eodem vitio laborat, quia actiones dicendi, et spirandi, dato quod non sint intelligere, nec velle, sunt tamen actiones intellectus, et voluntatis: ergo de se tam communes erunt, quam intelligere et velle.

XXXVII. Ad secundum fundamentum Durandi respondetur in naturis creatis fecunditatem attendi penes communicationem rei genitæ a se distinctæ; et sic per actionem transeuntem fecunditas ista germinat et parturit, potestque præcedere actiones immanentes, quia non est fecunditas ad communicationem immanentem, et ad intra, sed ad germinandum, et producendum aliquid distinctum a se. Et ita licet antecedit actionem immanentem illa fecunditas naturæ creatæ, non tamen actionem transeuntem, sed per illam fit communicatio: sine aliqua enim actione vel immanenti, vel transeunti nulla est fecunditatis communicatio. In divina autem natura fecunditas est ad germinandum intra se, et cum communicatione ejusdem substantiæ, et ideo non potest fieri per actionem transeuntem, sed immanentem, quæ est ad intra, sine ulla autem actione nec immanenti, nec transeunti intelligi nullo modo potest.

XXXVIII. Ad confirmationem respondetur ex infinitate divinæ essentiæ provenire quod sit illa natura in tribus personis, eique communicetur, non excludendo operationes intellectus, et voluntatis, per quas debent procedere Personæ. Essentia autem divina non est in tri-

bus Personis quomodocumque, sed in duabus ut procedentibus, et in alia ut ingenita: et sic infinitas essentiæ ad existendum in tribus Personis petit infinitatem essentiæ, et processionem, et hæc petit infinitatem operationum.

Ad fundamentum speciale Scoti respondetur quod actus immanens et præsertim intellectio habet duplicem habitudinem, alteram ad objectum quod intelligit, alteram ad verbum in quo representatur res intellecta, et exprimitur. Secundum primam habitudinem operatio illa non est productiva, nec dicit habitudinem originis ad objectum, quia objectum non procedit ab illa, sed potius objectum se habet ut specificativum, et formale respectu actu; et sic solum habet fieri unum cum objecto, tamquam cum suo formali termino, quod potius importat habitudinem informationis, ut dicit D. Thomas sed extrinsecæ, quia objectum est forma extrinseca. Secundum alteram habitudinem actus immanens, et intellectio productio activa est, et sic dicitur expressio, et locutio, ibique importantur habitudo originis ad verbum prolatum, et dictum. Et istæ sunt duæ habitudines, et formalitates ejusdem operationis, sed non operationes diversæ. Nec sufficiunt ad distinguendum duas rationes formales, licet una pertineat ad genus causæ formalis, alia ad genus activæ originis, et quasi efficientis, quia intelligere non est pure forma informans, sed est vera operatio, quæ tamen respectu objecti, quatenus illud apprehendit, importat habitudinem causæ formalis, non quia in se vera operatio vitalis non sit, ut in superioribus declaravimus. Quando autem productio unius termini necessario dependet ab alia attingentia, seu termino at-tacto, utraque attingentia convenire potest in eadem operatione, nec

est necesse multiplicare operationes, neque in intellectu multiplicari possunt, cum omnis operatio intellectus sit vitalis vitalitate eadem, nempe intellectiva, ut jam supra latius ponderamus: sicut etiam eadem actio illuminativa solis est calefactiva in materia capaci caloris, nec calefactio est alia operatio ab illuminatione, quia ut est calefactio a sole, dependet ab ejus luce: sic ergo formatio verbi representativa, et expressiva objecti, prout intellecti, dependet ab intelligere. Unde non est necesse multiplicare operationes, sed eadem operatio, quæ est intelligere, est expressio, et productio verbi, quatenus ista formatio subordinatur ipsi intelligere, et ab eo dependet. Ex alia autem parte, licet intelligere sit actualitas ultima, et immanens, et respectu objecti quiescere faciat intellectum, tamen quia actus secundus est eminenter, est productio, seu actio productiva active: tota enim ratio productionis active sumpta consistit in ratione actus secundi ex parte agentis. Eadem ergo operatio, et actualitas secunda immanens, quæ est intelligere, ob suam eminentiam est etiam productio, et expressio verbi, licet id non semper requiratur ad rationem actionis immanentis, nec sit eadem formalitas, et habitudo intelligere ut intelligere, et ut dicere, seu producere, ut explicatum est.

Ad confirmationem respondetur, quod licet intelligere, et velle propter suam infinitatem, ut simplicitatis est, sint unum entitative, propter eandem infinitatem, ut fecunditatis, possunt fundare relationes diversarum processionum; et sic sunt aptæ, ut per ipsas procedant diversæ processiones Verbi, et Spiritus, dicti, et spirati cum omnimoda communicatione in eadem natura. Nam quia [infinitas illa est] infi-



nitatis simplicitatis, ipsumque intelligere, et velle unum sunt entitative, id quod procedit per illas, procedit ut unum in eadem essentia, et cum communicatione consubstantiali in eadem natura. Quia vero est infinitas fecunditatis, quia ad perfectionem ipsius intelligere, et velle pertinet fecunditas se communicandi, tum exprimendo, et dicendo in intellectu, tum spirando in voluntate, pertinet ad istud intelligere, et velle quæ substantialiter sunt unum, propter sui eminentiam fundare relationes processionis, quæ sunt oppositæ, et distinctæ; et primo ex ipsa natura ut habente hanc eminentiam consurgit prima Persona relativa, et originativa aliarum, quæ est Pater, qua relatione, et Persona supposita, et ante omnem processionem habita ex vi infinitæ eminentiæ, et fecunditatis divinæ, etiam ipsum intelligere, et velle possunt processionem habere distinctas, non distinctas in ipsa substantia intelligendi, et volendi, sed in ipsa oppositione originis, et relatione, quæ fundantur super eminentia infinita illius essentiæ quæ etiam complectitur esse relativum. Et ita ex parte distinctionem, et originum habent distinctionem, ex parte vero intelligendi et volendi vim, et actualitatem et speciem ut talis, vel talis terminus procedat, scilicet intellectus, vel spiratus.

## ARTICULUS VI.

*Utrum processio Verbi sit formaliter, et in quarto modo per se generatio?*

I. Præsupponit ista difficultas, secundum fidem catholicam, processionem secundæ Personæ, quæ est Verbum, esse generationem substantialem Filii, et disquirat sub qua

formalissima ratione sit generatio, quia plures formalitates, seu respectus in illa processione considerari possunt, ut statim dicemus.

Quod ergo processio illa Verbi sit generatio, et productio Filii contra Arium stabilivit fides catholica, quia hæreticus, ut supra articulo primo vidimus fatebatur Verbum esse intra Deum, per quod facta sunt omnia, sed illud non esse Filium, quia non procedebat a Deo; quod autem erat procedens a Deo, et Filius, dicebant non esse Verbum sed creaturam, solum autem dici Verbum ministerialiter, et tamquam instrumentum Dei, sicut vox externa apud nos est, verbum significans verbum internum. Unde et ipse dixit in libro convivalium, ut refert S. Athanasius a nobis citato loco dicto: « Multa in Deo sunt verba, quodnam ex eis Filium dicemus? » Cæterum fides catholica illud ipsum Verbum quod in principio est apud Deum, et per quod omnia facta sunt, Filium confitetur, quia illud ipsum Verbum dicit Joannes factum esse carnem, et vidisse gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, Verbum ergo unigenitum Dei est, et consequenter Filius. Nec ista processio Filii est processio ad extra communicans illi diversam naturam, sed processio ad intra quæ Filium generat, non solum substantialem, et similem Patri ut dicebant Semiariani, sed consubstantialem et in eademmet natura Patris subsistentem, ut fides catholica docet.

Supposito ergo quod processio secundæ Personæ, seu Verbi est processio Filii secundum fidem, et consequenter generatio, quia ipse qui procedit vere est genitus, inquirat theologia, sub qua formalitate induit illa processio vim, et rationem generationis. Nam ut sit generatio, et ut ipse procedens sit Filius, debet esse substantia similis Patri, et in

similitudinem ejus procedens, seu expressiva illius imago. Et quidem quod secunda Persona procedens sit similitudo expressiva substantiæ Patris, et imago ejus, bene intelligitur quod id habeat ex vi, et formalitate Verbi, quia Verbum est imago quædam intelligibilis, et similitudo representativa rei intellectæ. Quod vero sit substantialis imago, et representativa Patris intelligentis, non solum essentiæ intellectæ, habet ex eo quod est divina, ubi omnia ista identificantur; et sic non videtur formaliter, et in quarto modo per se processionem Verbi esse generationem, sed solum identice, quatenus divina.

## DEFINITIO GENERATIONIS QUOMODO ACCOMMODATUR FILIO.

II. Antequam in difficultate proposita sententias evolvamus, et resolutionem tradamus, oportet generationis veræ et propriæ definitionem supponere, eamque processionem accommodare, ut inde videamus, sub qua formalitate illa processio induere possit rationem generationis. Et oportet accommodare Filio illam definitionem generationis, quæ communiter tradi solet de viventibus: nam si ea generatio, semotis imperfectionibus limitationis et creaturæ non attribuitur Deo, non restat nobis quomodo concipiamus in Deo verum, et proprium Filium, quod fides docet, si illa filiatio, et illa generatio non habet in substantia illas condiciones, quas habet filiatio et generatio, quam ex creaturis accipimus, sed solum nomine, et æquivoce dicitur generatio; sicut si in Deo non esset vera, et propria ratio, et quidditas sapientiæ, quam apud nos videmus, licet non cum imperfectionibus, et limitationibus, quæ apud nos est,

non possemus simpliciter pronuntiare Deum sapientem, sed aliquid aliud, quod non est sapientia et nominatur sapientia, Deo attribueremus.

III. Igitur relicta generatione communiter dicta, et in lata significatione prout reperitur in viventibus, et non viventibus, quæ est mutatio de non esse ad esse in aliquo subjecto, vel quæ est mutatio hujus totius in illud totum, nullo sensibili manente ut subjecto, sicut definit Aristoteles 1 de generat. c. iv, istæ enim definitiones solum sunt de generationibus materialibus, et quæ fiunt cum mutatione, quod nullo modo potest convenire Deo; loquimur in præsentem de generatione strictiori, et quæ solum convenit viventibus, neque in suo conceptu explicat quod sit cum mutatione, sed solum definitur quod sit: Origo viventis a vivente a principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, quam definitionem tradit S. Thomas in præsentem articulo secundo et cum eo admittunt omnes scholastici, nosque eam explicavimus in lib. de generat. q. 1, a. 1, præsertim quantum ad duas particulas, quæ explicatione indigent, scilicet quod sit a principio vitæ conjuncto, et quod sit in similitudinem naturæ. Nunc breviter dicimus in tribus particulis definitionis explicari omnes quatuor causas quæ ad generationem concurrunt, et eo modo quo concurrere debent. Nam in prima particula origo viventis a vivente explicatur vis, et processio effectiva, qua unum originatur, seu producit ab alio, ut a principio effectivo vitali. Secunda particula, a principio vitæ conjuncto explicat causam materiale ex qua elaboratur, et procedit genitum: oportet enim quod generans effectivum ex sua substantia, seu ex aliquo sibi conjuncto producat suum genitum, illudque